

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XLV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## XLV.

salutem in Christo Jese *Ἐπιπέμω*, Unâ cum Novo felicissimo anno, T. R. D. & tui familia ex animo precor. Reverende & Clarissime D. Doctor, Frater in Domino officiosè colende.

U Nas T. R. D. literas hæcenus accepi, ex quibus intellexi, Eam Responsum ad scriptum Heidelbergense (cujus titulus est: *Gegenbeweisung / daß der Heidelbergischen Theologen Lehr der Augsbürgischen Confession nicht gemäß*) adornare. De eo sub fide certiores feci D. Theologos Wittebergenses & multos Palatinos, qui magno desiderio vestrum scriptum expectant. Quare obnixè rogo, ut id usque ad proximas nundinas Francofurtenses in lucem edatis. Si vobis deest typographus, mihi mittatis, ego Wittebergam transmittam, ut ibi excudatur. Edidit D. D. Hunnius theses hæjus materiæ, quas simul mitto.

Illustrissimus D. Elector Palatinus nuper huc misit suos Legatos, Nobilem D. Joh. Landschadium, Doct. Gernandum, D. Schüch, & D. Lingelsheimen, cujus ultimi parentem dicunt fuisse Professore in vestra Academia. Ii à statibus hæjus Provinciæ congregatis petierunt nomine executionis Turcicæ à centum florenis unum florenum. Sed status de centum florenis pendit ad 7. annos, quotannis 30. cruciferos. Institerunt autem vehementer, ut ipsis etiam Exercitium liberum nostræ Religionis concedatur, quod Legati in se recipere noluerunt, sed se ad D. Electorem relatuos promiserunt. Sic Ecclesia hæjus Provinciæ status adhuc est miserabilis. Sunt multi Lutherani ministri hæcenus dimissi, ac in eorum locum Calviniani substituti. Nos hic adhuc pristina pace fruimur, quam Dominus elementer conservet. Dignissimus D. Cancellarius, Lic. Harderus nuper duxit aliam uxorem, virginem ex patriciorum familia Noribergensi, *der Hassen*, celebrabit nuptias intra paucas septimanas. Dominus bono & pio viro largiatur benedictionem, ac etiam prolem, qua hæcenus caruit. Edidi Witteberga libellum de S. Cæna, sed is ita mendose est excusus, ut ad meam petitionem injunctum sit Typographo, quasdam paginas recudere, quod cum factum fuerit, T. R. D. exemplar transmittam. Valeat T. R. D. in Christo, & familiæ salutem meam officiosam dicat. Datum Ambergæ, 20. Januarii, Ao. 95.

Literas D. Kozmanno inscriptas ei reddi curabitis.

I. R. D.

*Deditissimus*

Jacobus Schopperus, D.

XLVI.